

13

DISSERTATIO ACADEMICA
DE
*NATURA SIMILITUDINUM,
MAXIME EX VIRGILIO,*

CUJUS PARTEM PRIOREM,

VENIA AMPLISS. FACULT. PHILOS. ABOËNS.

PRAESEDE

JOH. FREDR. WALLENIO,

Eloqu. Prof. Reg. & Ord. Regg. Societt. Patriot. Holm.

Oecon. Fenn. & Oecon. Wermel. Membro,

PRO SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIEUS

Publicæ censuræ modeste subjicit

JOH. GUILIELMUS TUDERUS,

Wiburgensis.

In Auditorio Majori die XX Junii MDCCCV

Horis a. m. consuetis.

ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS.

VIRO
MAXIME REVERENDO ATQVE CELEBERRIMO,
DOMINO MAGISTRO
FRANCISCO MICH. FRANZÉN,
HISTOR. & PHIL. PRACT. IN REG. ACAD. ABOËNSI
PROFESSORI LONGE MERITISSIMO,
FAUTORI AESTUMATISSIMO PIAQUE JUGITER
COLENDO MENTE,

*Quo per plures jam annos doctore usus fuit fidelissimo,
cujusque luminibus, laboribus, consiliis, curis institutum,
formatum, adjutum se letus profitetur, animum
acceptorum beneficiorum, ut decet, memorem, & justa
perfusum tantorum meritorum veneratione, non priva-
tim sed in conspectu omnium, declarare gestit*

NOMINIS MAXIME REVERENDI

eulor devotissimus

JOH. GUIL. TUDERUS.



Tantam difficultatem habet similitudo, ut ne ipsa quidem natura in hoc ita evaluerit, ut non res, quæ simillimæ videantur, discrimine aliquo discernantur.

QUINTILIANUS.

Cum in manus incidenter nostras ducæ, quas maxime Reverendus ac Celeberrimus Dn. Doct. & Profesor DAHL Upsaliæ annis 1791 ac 1797 edidit, dissertationes in *natura similitudinum ex Homero* enucleanda & explicanda occupatæ, sed nondum ad rei exitum perductæ, etiam nobis, specimen alterum Academicum exhibituris, non visum fuit incommodum, eandem similitudinibus Virgilianis impendere operam. Et merentur sane summi Romanorum Poëtæ carmina vel illo ex capite considerationem omnino diligentem, quod non in uno tantum genere tulerint palmam, sed æquo successu ad pastoralis vitæ dulcedinem commendandam, ad agriculturarum labores non minus nobilitandos quam præceptis formandos, et ad augendam Epicæ Camenæ dignitatem, insignem contulerint symbolam: qua rerum et varietate et ubertate nihil fuisse ad similitudines etiam gignendas, variandas & multimoda arte ornandas copiosius, facile intelligitur. Fuerunt autem a nobis nonnulla de universa Similitudinum ratione opportune præmittenda: quare si Maronianas istas jam digito potius monstrare quam fusi, ut res non obscura quidem sed laude & diligentiori per partes contemplatione digna postulas, explanare licuerit, summa presolis temporis angustia, con-

A

tinu-

tinuare aliquando, si fata siverint, inceptam telam, et singulas argumenti venustates euratus legere, volupe erit. Interea vero mitiorem a L. B. quo par est officio expetimus juvenilis operis censuram.

Causam, cur figuratae ab hominibus primum inventae & frequentius sermoni illatae fuerint dictiones, non e longinquo esse arcessendam, sed in ipsa hominis rerumque humanarum natura quaerendam, fugere, in summa licet usus antiquitate, potest neminem. Quem enim prima imperavit ipsa necesitas, circumspicere in primæva linguarum infantia & paupertate jubens, qua ratione res ignotæ aut extra sensus positæ comode exprimerentur, translatum a communi consuetudine verborum & locutionum usum, illum innata menti humanæ propensio rerum investigandi affinitates, & non similia tantum similibus sociandi sed remotiora quoque, at per gradus quasi appropinquantia, tibi invicem admovendi, tum imaginationis & sensuum vis quam intellectus & judicii major, affectuum non ordinate adeo quam vehementer loquentium imperium, debitatis propriæ dictioñis nimia, euphemismi & velandarum rerum minus gratarum cura, atque non obscura demum, nec frigida, voluptas, quam ex oratione, eo feriente, commovente & delectante efficacius, quo sensus tangeret proprius, ceperunt audientes, indeque natum placendi studium, propagarunt late, perfecerunt et non interituro celebrarunt honore. Neque maiores aliunde divitias fermo, dignitatem, lucem, splendorem & vivos quasi colores oratio, aut ad animos non flectendos solum sed levitatem quadam permulcendos & alliciendos vim dicturus scripturusve hauriunt.

Non isti jam immorabimur, quamvis pervulgatae, figuratae dictioñis divisioni, qua in tropicam & schematicam, sed, ut non nullis viñum fuit, otiose, dispescere eandem placuit Rhetororum

corum præceptorum magistris; præsertim cum Similitudinem & figurarum numero excluderit ERNESTI (1), & ad copiam potius, eamque Inventionis, retulerit. Sed quemadmodum non raro se invicem contingunt Tropi atque Figuræ, ita neque rarius ad picturam cogitatis inducendam & ad ornatum, qui elocutionis est, efficiendum, quam ad ipsa subidia luminaque argumenti quasi creanda, pertinent Similitudines. Quam vero pariter eliminavit, et partim ad probationis partim ad causæ genera amandavit QUINTILIANUS (2), Comparatio nihil habet cum Assimilatione, sed cum Antithesi potius, commune, ut pateat sententiam Auctoris fuisse a Vossio (3) non bene intellectam. Neque tamen diffitemur alio interdum sensu sumi *Comparationem*, & ad rem nostram spectare proxime. Eventit enim in hujus quod in multis saepe aliis rerum appellationibus, et iis maxime, quæ aut per se claræ videntur, aut non una efferri posent ratione, ut jam huc jam illic, pro scribentis non constanti semper arbitrio, traductæ, in significatione nimium quantum vacillarent. Quod si conterminorum facillime moveantur limites, non erit mirum, in Latinis Similitudinis, Collationis, Exempli, Comparisonis, Imaginis, Inductionis Socraticæ, et Græcis, sed Romana plerumque civitate donatis, Parabolæ, Symbolæ, Epagoges, Allegoriæ, Paradigmatis, Homœoseos, Iconis, Syncrifeos aliisque definiendis, & constituenda eorundem sive homonymia sive synonymia, non fluctuasen modo sed pene lusisse CICERONEM, QUINTILIANUM, RUTILIUM LUPUM, JULIUM RUFINIANUM, & e recentioribus SCALIGERUM, VOSSIUM, ceteros, quorum sententias, ultra fidem fere varias & discrepantes (4), nisi varet imperata brevitas, non inviti commemoraremus.

A 2

Con-

(1) *Init. Rhet.* §§. 126. 351.(2) *Instit. Orat.* L. IX. c. 2.(3) *Instit. Orat.* L. V. cap. 10. sect. 1.(4) *Alia quædam, eaque momentosa satis, hujus discrepantiae causa,*

Convenisse temen in eo ut plurimum (5) videntur anti-
quii Rhetores (6), ut per *Similitudinem*: s. *Collationem*: eam
figuram, vel si mavis dicendi formam, intelligerent, quæ du-
as non ejusdem generis res simul præbet intuendas, easque
sibi ita assimilat, ut qua in re convenienter perspiciat, unaque
principalis ab altera accessoria lucem accipiat atque splen-
dorem; per *Comparisonem*: vero illud dicens scribentis arti-
ficium, quo res non pares quidem (*parium*: namque com-
paratio *nec elationem* habet *nec submissionem*, est enim *æqua-*
lis (7)), sed ejusdem ordinis, eo fine conferuntur, ut earum
non similitudo sed discrimen, modus, vis, pretium appareat.
Et illam quidem, præente SULZERO (8), *æffabeticam*, hanc
logicam, comparisonem, vel *collationem*: potius, non inepte-
liceret appellare. Sed obtinuit etiam alia quædam *Compara-*
tionis significatio, ex qua breviorem, nec per partes absolu-
tam denotaret similitudinem (Germanis *Vergleichung* stricte-
rō sensu, nostratisbus *Zemförelse*), cuius ad Similitudinem ple-
nam (Germanis *Gleicbniss*, nobis *Eiknelse*; cuius tamen ne-
que eadem semper esse solet acceptio) eadem sit ratio quæ
Metaphoræ ad Allegoriam (9). Harum vero discernendarum
dif-

illa fuit, quam supra in transcurso tetigimus, similiū & dissimiliū
non minus ad Inventionem, quam ad Elocutionem, sed diverso con-
filio tractatorum, allegatio: cui cum accederet etiam nonnunquam
movandi pruritus, vocabulorum usus factus est in dies incertior.

(5) Non desunt scilicet exempla confusionis generum, Comparatio-
niis puta & Similitudinis. Vid. CICERO, *de Invent.* L. I. c. 30. & 42.
QUINTIL. L. VIII. c. 6. &c..

(6) CICERO *de Finib.* L. IV. c. 27. *Top.* c. 10. 18. *de Invent.*
L. I. c. 28. L. II. c. 25. QUINTILIANUS L. II. c. 4. L. V. c. 10.
II. L.VII. c. 2. L. VIII. c. 3. 4. &c..

(7) CICERO *Top.* c. 18.

(8) SÜLZER Allgemeine Theorie der schönen Künste, Leipzig 1792
-- 1794, 4:ter Theil p. 642.

(9) SÜLZER l. c. p. 643. & 2:ter Theil p. 422. DAHL l. c. P. I.

difficilius statuitur certa quædam & constans mensura, maxime cum & SULZER ipse notissimum illum Homericum locum (10) non productioris similitudinis, sed brevioris comparationis loco habendum, aut in confinio utriusque ponendum esse voluerit. Quare videamus potius, qua ratione inter se dissident ab una parte *Similitudo*, & ab altera *Metaphora*, *Allegoria* atque *Exemplum*. Sed notasse in antecesum licebit, aliam adhuc ponam J. C. SCALIGERO (11) & VOSSIO (12). Comparationis & Collationis s. Similitudinis differentiam, eam nempe, quod perfectam quidem ambæ exhibeant similitudinem, sed ordine variam, ut in illa priori loco ponatur res ad assimilationem adscita, posteriori vero res principalis quæ simili re aliunde arcessita vel illustratur vel intenditur, & in bac contraria obtineat rerum series: quam tamen distinctionem non sane ad materiam sed ad formam, cujus multa sunt neque totidem vocabulis insignienda privilegia, pertinere, & otiosam fere esse, non immemrito pronuntiaveris.

Est vero *Metaphora* modus quidam vividior atque efficiator, sed brevisimus, eam designandi similitudinem, quam inter res objectas detegit imaginatio, ita fere expressus, ut ad rem alteram subjectam altera praedicatione instar, ut loqui amant Philosophi, adjungatur non propria sed aliena. Qui igitur tropus, quamvis sit cum similitudine nexus valde arcto coniunctus, & eodem omnino nitatur fundamento, alia tamen utitur & clandestina magis ratione. Nomen suum proprium in Metaphora arx retinet causæ, qualitates vero ejusdem et effectus unius verbi imagine exprimuntur & quasi pinguntur. *Similitudo* e contrario rem ipsam ejusque imaginem sigillatum

p. 9. Eam vero, quæ hoc sensu dicitur, Comparationem *Iconem*, nec tamen aptissime, appellavit HEGELMAIER de dictione tropica p. 328.

(10) *Iliad.* VI. 145^o sqq. vide SULZER 4^o ter Theil. p. 643.

(11) *Poëtices Libr.* III. c. 50^o.

(12) I. c.

tim proponit, comparatione quidem uberiori et ulterius continua, quam patiatur natura Metaphoræ (13).

Quod ad *Allegoriam* attinet, definiri solet illa per tropi ejusdem, in primis autem Metaphoræ, per integrum sententiam, aut plures adeo sententias, continuationem; in qua quidem definitione non suisset omittendum, mentionem antitypi fieri in Allegoria nullam, qui quamquam & in Metaphora taceatur, translucet tamen ex subiecto non obscure. Ad aenigmaticam proinde rationem proprius accedit eadem Allegoria, quoties consilium ejusdem adhibendæ non declaratur (14), quod de *Parabolis* & *Apologis* explicatione aut sententia parentibus (nam haec si adfuerint, Similitudinibus admovent aliquatenus) itidem valet. Ad Apologos vero et Parabolas referantur etiam commodissime Exempla, quæ facta dicuntur CICERONI (15), ut possit *Exempli* significatio ad rei gestæ accommodatam persuationi vel doctrinæ commemorationem, et generaliter dictorum speciatim & per facta enuntiatis explanationem, restringi.

Sed ad *Similitudines* redeamus, quarum ad delectandum vis non aliunde fere pendet, quam figuratarum in universum dictionum. Dispicere in diversis quæ similia sint, uti in similibus quæ diversa, ipsa monemur natura, id efficere cupiente, ut augeatur attentio nostra & examinis non patientia solum

(13) In totum autem Metaphora brevior est quam similitudo, eoque diffat, quod illa comparatur rei quam volumus exprimere, hæc pro ipsa re dicitur. QUINTILIANUS L. VIII. c. 6.

(14) Pulchre HOMÈ: *In a word, an allegory is in every respect similar to an hieroglyphical painting, only that words are used instead of colours. Their effects are precisely the same; a hieroglyphic raises two images in the mind, one seen which represents one not seen; an allegory does the same; and resemblance leads us to apply the description to the subject represented.* Elements of Criticism, Ch. XX. sect. 6. (T. II. p. 279).

(15) Topic. c. 10. Cfr. QUINTILIANUS L. V. c. 6.

Ium sed cupido, ut laborem in rebus cognoscendis positum compenget voluptas (16), ut clariores et luculentiores res evadant objectæ, subveniantque sibi & opitulentur invicem sensus & intelligentia. Quæ commoda quamvis non ad productiores unice Similitudines pertineant, in iisdem tamen, per moram in propositis rebus longiorem, maxime regnant, eamque adjuvant rerum scientiam, quæ ex partibus totum judicat melius pleniusque.

Neque tamen uberior et ad vivum resecta Similitudo ubique vel placet vel prodest. Affectibus certe vehementioribus nullo convenit modo: qui enim horum raptus est turbine, illo caret composito & bene ordinato mentis habitu, qui in obversanti re quacunque consistere possit et commorari tamdiu, quoad per singulas eundo partes et ipsa, & alia quædam, sub eandem cadens rationem, non pervideri solum sed et aliis monstrari dilucide possit. Quod movit animum, occupat quoque et tenet fortissime eundem, nec ad alias res nisi in transcursu advertere sinit, aut si adverti passum fuerit, rem alienam, sed similem adeo visam, ut praesenti casui censi queat accommodatio, propriæ omisæ loco ponit nonnunquam (17), unde existunt potius Allegoricæ & Metaphoricae in primis locutiones, quam veræ quædam & elaboratae Simi-

(16) Is, qui audit, alio ducitur cogitatione, neque tamen aberat, quæ maxima est delectatio. CICERO de Orat. L. III. c. 40.

(17) Rooted grief, deep anguish, terror, remorse, despair, and all the severe dispiriting passions, are declared enemies, perhaps not to figurative language in general, but undoubtedly to the pomp and solemnity of comparison. HOME l. c. ch. XIX. (T. II. p. 207). Sie (die Vergleichungen) scheinen sich mehr zu Reden und Gedichten von einem etwas gemässigten Ton, als zu denen von ganz heftigem Affekt zu schicken. Denn in diesem ist das Feuer zu stark um sich bey Vergleichungen zu verweilen; die Bilder gehen in Metaphern oder Allegorien über. SULZER l. c. 4ter Theil, p. 645.

Similitudines. Neque infreque[n]ter nudæ tum proponuntur res, sed verborum maxime figuris exaggeratae. Quem vero aptissimum sibi & convenientissimum vindicant Similitudines, inter sublimem & affectibus turgidum stilum, atque genus scripturæ simplex omnique orbatum artificio, medius fere est locus, ita tamen, ut populari etiam, et quæ maximæ perspicuitatis esse debet, scriptioni, ad res obscuriores illustrandas et sensibiles reddendas, apprime inserviant. Cavendum autem in hoc, ut in omni, Similitudinum usu erit, ne nihil omnino permettere videamur legentium audientiumve perspicaciæ, & ne nimis coacervatis imaginibus attentionem a re ipsa idemtide[m] revoceamus, quo facto, & quæstis in scirpo nodis, disjiciuntur longius rei capita, & sublato, qui intelligentiam juviset maxime, nexus in totius absoluti complexum componuntur ægrius. Dispensata prudenter, non luxuriose profusa, placent ornamenta: & nominatim Similitudines eam postulant mentis, sive in earundem auctore sive in lectore vel auditore, conditionem, quæ propositæ rei, dignæ in qua diutius moretur attentio habitæ, rationem et vim diligentius permoscere cupiat.

Fontes Similitudinum non unius sunt generis, sed varii & multiplices ex omni fere humana cognitione, etiam fabulosa, sponte scaturiunt. Ita vero comparatæ sint, necesse est, res quæ ad assimilationem arcesuntur, ut quid in iis insit simile neque primo quasi detegatur aspectu, neque anxia quadam & nimis operosa indigeat perscrutatione. Abstinendum quoque erit ab obscuris & abstrusioribus atque a communi politiorum hominum scientia remotis, ne rem non satis lucidam alia minus lucida vel ignota prorsus obnubilasse potius quam illustrasse videamur (18); a for-

(18) Sic qui ad Ovidianum illud; *bene qui latuit bene vixit, explanandum & illuminandum similitudinem, vel multo etiam ma-*

a sordidis ac plebeis & in universum ab omnibus quæ scrip-
tionis repugnant characteri, atque a tritis demum & pervul-
gatis, continuoque sermonis etiam communis usu, omni spo-
liatis venustate, nisi nova quadam et insolita facie, quam felix
develaverit ingenii acies, gratiam inire queant legentium (19).
Cavendum simul erit, ne ultra tertium, quod dici solet, *com-
parisonis* extendatur similiūm analysis & exhausta similitudi-
ne dissimilitudinem inferat, vel minutulum saltim & ineptum
similitudinis lusum.

Sed proprias & speciales regulas habent diversæ Simili-
tudinum classes, quas alio modo, sed pro finis & effectus ra-
tione singuli, constituerunt alii, divisione vel bipartita vel
tripartita. Trifariam scilicet vel ita dividere Similitudines, ut
partim in *Illustranda*, partim in *Amplificanda*, partim in *Vari-
anda* sententia versarentur, vel ita, ut partim ad *Evidentiam*,
partim ad *Ornatum*, partim ad *Sensum vividiorem* relatæ, juva-
rent aut intelligentiam, aut imaginandi vim, aut animi motum (20).
Cum vero duo illa extrema, quemadmodum & Amplificatio ac
Variatio, ad delectationem maxime valeant, commodior no-
bis quidem illa videtur Similitudinum divisio, qua nonnisi bi-
fariam in *Illustrantes* & *Delectantes* dispescuntur (21) Qua-
rum illæ rem principalem clarius & ad captum accommoda-

B

tius

gis Metaphoram, adhibere vellet a Cimice paradoxo, infecto Africæ
meridionalis aridum & flavescens mentiente folium, petitam, vix ipsis
Caffris fatis intelligeretur.

(19) Novitatis vero gratia commendantur in primis longinquius
petite similitudines, (in quibus tamen servandi modi non est obli-
scendum), cum proprius jacentes dudum occupaverint alii. *The Poëts,*
such of them as have a just taste, draw all their similes from things
that in the main differ widely from the principal subject. HOME
I. c. ch. 8. V. I. p. 282.

(20) DAHL I. c. p. 10, 13. SULZER I. c. 4:ter Theil p. 644.

(21) HOME I. c. Ch. 19. Vol. II. p. 183. BLAIR Lectures on

tius exponunt, sensibus ea admovendo quæ extra sensuum cancellos sunt constituta, & intelligentiae, objecta sensibili specie, subveniendo, locumque, quoties nodus tali dignus artificio inciderit, in scriptio[n]is genere tantum non omni tuerentur. *Delectantes* vero Similitudines eo præcipue spectant, ut ornetur res in se quidem satis clara, sed nuda minus quam par eset placens vel cito nimis transitura, ut ad contemplandam ejusdem jucunditatem diu[n]ias & cum omni qua frui posset voluptate advertatur mens, ut eam servet fortius impressam, ut moveatur vividius, atque ut in commotione, cuius nos participes fieri voluit similitudinis artifex, inhæramus aliquantis per. Simpliciores porro sunt *Illustrantes* illæ Similitudines, majorem non amant solum sed requirunt perspicuitatem, & summum facilemque ac perfecte sensibilem cum re repræsentanda consensem, ultra quem non sine vitio & erroris periculo evagantur. Compositæ magis sunt *Delectantes* vel latiores saltem ac liberiores, & neque illas respuant imagines, quæ cum re ornanda aut intendenda non tam indole quam effectu convenient, sed eam ubique imitantur excitati manifestioris vel taciti sensus formam, quæ in re principali jam fuerit dominata, sed splendentem magis & nonnunquam auctam (22). At facilius in universum ponuntur quam in casu quovis speciali distingvuntur horum generum limites, cum quod ad illustrandum idem ad movendum quoque, & vicissim esse omnino posset comparatum; solet vero alterutrum consilium plerumque prævalere & denominationem a potiori inferre.

Conspicua sunt, ut jam in ipso Dissertationis limine monimus, Maroniana carmina insigni atque egregio Similitudinum, & utriusque quidem generis, artificio. Quas autem hac

Rhetoric and Belles Lettres Vol. I. Lect. XVII. p. 389. SULZER I. c.
2:ter Theil p. 424.

(22) SULZER loco proxime cit. p. 428 sq. BLAIR Vol. I. p. 390.

hac occasione plenius persequi non vacavit excellentiores illustris Poëtæ Similitudines, donec conquirere easdem sollicitius & per classes dispertire aliquando licuerit, brevi saltēm indice recensēbimus. Leguntur Eucolicorum V. 16 fqq. 45. fqq. VIII. 25 fqq. Georgicorum I. 201. fqq. 512. fqq. III. 103 fqq. 193 fqq. 237. fqq. IV. 170 fqq. 433 fqq. 511 fqq. Aeneidos I. 148 fqq. 392 fqq. 430 fqq. II. 304 fqq. 355 fqq. 379 fqq. 626 fqq. III. 679 fqq. IV. 301 fqq. 402 fqq. V. 213. fqq. 439 fqq. 448 fqq. VI. 270 fqq. 702. VII. 462 fqq. 528 fqq. 586 fqq. VIII. 22. fqq. 243. fqq. 407 fqq. 622 fqq. IX. 339 fqq. 435 fqq. 792 fqq. X. 454 fqq. 693 fqq. XI. 68 fqq. 492 fqq. 721 fqq. XII. 4. fqq. 451 fqq. 684 fqq. 856. fqq. 908 fqq. &c. In quārum nonnullas stricturæ Homianæ (23) fidem nequaquam fecere omnibus.

(23) Libr. cit. Vol II, p. 214. fqq.

